232
230
236
226
241
221
281
181
331
131

meus mihi in vineis Engaddi, intelligentes dictionem illam Cypri significare regionem Cypri et montem illum dici Engaddi. Sed est puerilis intellectus, Cyprus enim in illo loco est surculus sive plantula, quasi sic dicta, ferens botrum balsami, qui crescebat in vineis Engaddi in Judaea, ut patet supra P. I. fol. 65., et de fonte Elisaei, et P. II. fol. 246 (?). Possibile tamen est etiam huc transplantatos fuisse arbustulos balsami tempore Romanorum, sub quibus montes Israel pleni balsamis fuerunt, ut dicit Josephus. In hoc insuper monte et in aliis Cypri montibus sunt multae fossae mineriarum, quia metalla ibi reperiuntur. Dicit enim Ysidis, quod usus metallorum fuit primo in Cypro inventus.

Hunc ergo montem impudica Venus sibi sacravit per se ipsam et lucos instituit, necessaria plantavit, speluncas fodit in tantum, ut ab intus habitationes quasi magnae et tenebrosae essent. Aliquas cavernas fecit ad flendum in eis Adonidem, aliquas ad luxuriandum. Adinstar autem illius montis multi successu temporis montes per mundum sunt consecrati Veneri, ideo frequentissime in historiis nominantur montes Veneris. Et moderno tempore vulgus rudis delirat de quodam Tusciae monte, non longe a Roma, in quo dicunt dominam Venerem deliciis frui cum quibusdam viris et foeminis. Vnde de hoc carmen confictum habetur, quod manifeste a vulgo per Alemanniam canitur de quodam nobili Suevo, quem nominant Danhuser, de Danhusen villa prope Dünckelspüchel. Hunc fingunt ad tempus in monte cum Venere fuisse, et cum poenitentia ductus Papae fuisset confessus, denegata fuit sibi absolutio, et ita regressus in montem nusquam comparuit, et in deliciis (b) vivit, ut dicunt, usque ad diem judicii. Ecce, quam facile homines in errores ducuntur credentes fictionibus! Nam Venerem mortuam et haud dubium damnatam, quae vivens numquam Europam vidit, credunt in Tusciae montibus degere. In tantum autem hac fama dementati sunt Alemanni, ut multi simplices ad hos famatos peregrinentur montes, et dum contingit aliquem mori, amici sui famant, eum raptum a Venere in montem; alii redeuntes dicunt se vidisse, quae a phantasticis auditu didicerunt. Unde tempore Nicolai papae quinti fuerunt sententiae latae contra adeuntes montes illos, et canes rabidi in stricto locati, per quod aditus est ad suspectum sacrum. Et haec aevo nostro con-

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;